



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita S. Liborii Episcopi, Calcvlo Laborantium Patroni

Bolland, Johannes

Antverpiae, 1648

Historia Redvctionis Reliqviarvm S. Liborii, Auctore Ioan. Carolo Erlevvein.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9573

HISTORIA
 REDUCTIONIS RELIQUIARVM
 S. LIBORII,

Auctore Ioan. Carolo Erlevvein.

Reuerendissime ac Serenissime
 Princeps, Clementissime
 Domine.

ANNO
 MDCXXIII.

I.



*Auctor mi-
 litat Lotha-
 ringo an.
 1622.*

Erenitatis Vestrae manda-
 tum Broilae an. MDCXXVII.
 die xxvii. Nouembris, vnà
 cum litteris Admodum Re-
 uerendae & Praenobi-
 lium DD. Decani ac Capituli Paderbornensis
 Ecclesiae, ad me perlatum est xiiii. Decem-
 bris: eaque omnia debitam cum reuerentiam re-
 cepi, ac perlectis ritè omnibus, quae in ijs con-
 tinebantur, confestim me ad obsequentissimi
 animi officium contuli, & coepi in memo-
 riam reuocare praeterita tempora & seruitia
 mea humillima; nimirum quod an. MDCXXII.
 Sermae. Clemiae. suae consensu impetrato, sub
 Sereniss. Lotharingiae Duce Henrico, nullis
 licet meritis meis exigentibus, signiferi eque-
 stris honorem in militia consecutus, stipen-
 dia

dia meruerim, bello quod aduersùs Mansfeldium tunc gestum fuisse constat. Cùm au- *dein Gallo*
 tem post missionem honestam, vii. Iulij eius- *sub Rin-*
 dem anni, quando Regis Galliarum exerci- *grauis*
 tus ad Sermese iustrabatur, altera stipendia
 eques cœpissim mereri, auspicijs Illustrissimi
 Ottonis Philippi Comitis Siluestris ac Rheni,
 aduersùs eundem Mansfeldium, pro obse-
 quio Regis Galliarum, militantis; præclara
 mihi, Dei munere, obuenit fors, S. Liborio,
 suæque Serenitati vnà seruiendi.

2. Siquidem anno eodem MDCXXII. die
 xviii. Septembris, cùm Illustriss. Otto Philip-
 pus Comes Siluæ ac Rheni, Vaucoleurio
 Galliaë vrbe, in quâ ipsius equestris legio sta-
 tiua habebat, profecturus esset, ab eius Gra-
 tiosâ Generositate impetraui potestatem Co-
 loniam proficiscendi, eâ conditione, vt sex
 hebdomadam euoluto curriculo me ipsius
 gratioso obsequio restituerem: quod etiam
 pro viribus annis sum præstare. Cùm au- *ab hoc iube-*
 tem iam itineri me darem, idem gratioso suo *tur Elector*
 imperio id mihi negotij dedit, vt apud Sere- *Colon. offer-*
 nissimam Clementiam vestram, præter hu- *re restitu-*
 millimam obsequendi promptitudinē, etiam *tionem Re-*
 indicarem, quâ ratione Reliquias S. Liborij, à *liquiarum*
 Christiano Brunswici Duce acceptas, asserua- *S. Liborij;*
 ret, & honori Paderbornensis Ecclesiæ non
 inuitus daret, vt ea Patroni sui thesaurum fa-
 crum recuperaret, & Sanctus in locum pri-
 stinaë quietis, ac honoris sui gradum, restitue-
 retur.

retur. Et quandoquidem sua Sereniss. Clem. etiam Paderbornensi Ecclesiæ, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ, præsideret, se libenter venire in partem curæ, quam sua Sereniss. Clem. pro eiusdem Ecclesiæ sacris habere dignosceretur.

3. Feci itaque quod mihi imperatum erat sanctè & ordine; ac 11. die Octobris eiusdem anni coram suâ Sereniss. Clem. mandata Illustriss. Comitis exposui: Nimirum, non multò ante eam diem Ducem Brunswici Christianum, cum ciuitatem Paderbornensem impetu belli sui occupatam, expilasset, sacras S. Liborij Episcopi reliquias ex summâ æde abstraxisset, secumque è Westphaliâ in Hassiam ad Mœnum flumen vsque conduxisset; conditorium verò Sancti pretiosum confregisset, & ex illius aliâque materiâ imperialibus nummis similem procudi fecisset monetam; demùm post ambigua itinera trium ferè horarum itinere supra Metensem in Mosellæ ripis sitam urbem consedisset; eoque loci prædictus Illustriss. Comes Rheni, eundem Ducem cum quinque vel sex virorum comitatu familiariter inuisisset, inter varios super mensâ sermones, uti fit, etiam de reliquijs S. Liborij sermonem esse subortum. Cumque Illustriss. Comes confidenter inquisisset, quonam eæ reliquiæ deuenissent inter tot itinera Ducis, ipsum Ducem excepisse, dixisseque eas adhuc apud secretarium suum asser-

quas Paderbornâ ablatas,

Et circum-

asseruari, ac mox iussisse ex abaco supellecti-
 lis argenteæ exemptas afferri. Quod cum illi-
 cò factum fuisset, Illustriss. Comiti esse osten- *linleo inuo-*
 las super mensâ, inuolutas obscuræ & inglo- *lutas, & si-*
 riæ mappæ, seu linleo, attamen consuto & si- *gnatas,*
 gillis Ducis ipsius munito. Cumque propiùs
 eadem reliquiæ inspectæ fuissent, & vehc-
 menter comminutæ apparuissent; ac Comes,
 veluti dubitans, ampliùs inquisisset, num eæ
 verè essent Reliquiæ, quas in S. Liborij condi-
 torio reperisset; ibi Ducem respondiisse, esse
 ipsissimas tam verè quàm ipse sit Brunswici
 Ducum sanguine natus, & præsens verè co-
 ram assideret. Interrogante autem Comite, *sed successio-*
 quàmnam igitur ratione adeò essent commo- *ne confra-*
 litæ, Ducem respondiisse, eò quòd abaco ar- *ctas,*
 genteæ supellectilis inclusæ, cumque eâ per
 itinera & hospitia sæpius contusæ fuissent.

4. Tum demùm Comitem cœpisse insta-
 re, petiisseque vt eas sibi Dux gratiosè cle-
 menterque cederet, cum ei per religionem
 suam, à Sanctorum reliquijs alienam, nihil
 admodùm possent proficere, & Comes ipse
 vicissim alio ipsi commodiore munere posset
 honorare cognatum Ducem, nimirùm ge-
 nerosiore equo & pilei honestamento præ-
 claro. Ad quæ cum ipse Dux retulisset, se ad
 eas reliquias neque dimittendas neque reti-
 nendas sat cõsilij habere, & esse perplexum, *a*
 tandem tamen varijs modis precibusque
 adhibitis Ducem Christianum, sine vllò pacto
 mune-

*ſibi Halber-
ſtadium do-
narat,*

*ipſe in arce
ſua aſſerua-
bat:*

*Auctor pro
ijs mittitur
in Lotha-
ringiam ab
Electore:*

muneris alicuius, Illuſtriſſ. Comiti Ottoni Philippo Reliquias eaſdem liberaliter eſſe largitū. Atque hæc vix xiv. diebus ante cladem Duci in finibus Brabantiaë xxix. Auguſti 1622. (in quâ ei brachium conſractum fuit) illatam, prædicto modo accidiffe. At Comitem sæpè memoratū, lætum munere ſacro, eaſdem acceptas obſignatasque ſtatim Principi de Croy coniugi ſuaë in arcem Neuuiller, quæ ferè ſeptem leucis ſupra Nanceium viſitur, tranſmiſiſſe: quæ illas pari gaudio reuerentiâque exceperit, & (vt erant) ſigillatas in ſacello arcis per Sacerdotem domesticum ſupra ſacelli altare reponi curauerit, ibidemque honorari.

5. His compendio ad Sereniſſimæ Clem. ſuaë notitiam allatis apud Bonnam die tertiâ Octobris anni MDCXXII. quoniam ſequenti die eadem Sereniſſ. Clem. ſua erat iter ingreſſura, quò Comitij Imperij Ratiſbonæ agendis adeſſet, iuſſus ſum, per Reuerendiſſ. ac Illuſtriſſ. Franciſcum Wilhelmum Olnabrugeniſem Episcopum, iter ſuaë Ser. proſequi, ac Confluentiaë reſponſi opportunitatem operiri. Quæ cū ne eo quidem loco, ob plurimorum negotiorum molem vndique incumbentem, aſſuſiſſet Hanouiam vſque ſum proſecutus; ibique viii. Octobris Serenitatis ſuaë litteras, de fide ac legatione mihi à ſua Sereniſſ. Clem. demandatâ, impetraui, & cum his ad Sereniſſimum Lotharingiaë Ducem, atque Illuſtriſſimum Comitem Rhēni citato itinere

itinere sum profectus. Cùm autem, Deo iter
 secundante, incolumis VII. Nouembris eius- *sed ab erat*
 dem anni MDCXXII. in arcem Neuuiller per- *Ringraunung*
 uenissẽm, & Illustriss. Comitem, eodem, quò
 Sua Sereniss. Clem. contenderat, iter insti-
 tuisse comperissẽm, litteras Principi de Croy,
 pijssimæ Comitris coniugi, tradendas duxi, ac
 debitâ cum obseruantia porrexi. Quæ se Re-
 liquias petitas, etiam Suâ Serenissimâ Clem.
 omnibus modis colendâ postulante, sine con-
 silio & consensu Comitris coniugis, tradere
 posse prorsus negauit. Itaque infecto negotio
 tunc mihi quidem discedendum fuit: sed per
 litteras vtrimque submissas, Serenissimæ
 Clem. Suæ ac Illustriss. Comiti ampla coram *qui Ratis-*
 de Reliquiarum recuperatione occasio data *bona eas*
 est Ratisbonæ in ipsis Comitris Imperij tra- *Electori spo-*
 ctandi: quâ factum est vt vltro citroque ha- *ponditis.*
 bitis colloquijs Illustriss. Comes Reliquia-
 rum S. Liborij restitutionem ratam habere
 voluerit, & addixerit: quæ etiam consecuta
 est, vt in sequentibus dicitur.

6. Nam Comitiorum apud Ratisbonam
 peracto tempore, cùm anno MDCXXIII. ad
 xxix. Maij Sua Sereniss. Clem. ad Bonnense
 castrum salua, gratulante patriâ vniuersâ, re-
 diisset; iterum cum litteris fidei, & negotij
 eiusdem apud Illustriss. Comitem Rheni con-
 ficiendi gratiâ, missus sum in Lotharingiam, *mittitur de-*
 ad castrum Neuuiller, adiuncto mihi comite *nud anno*
 itineris Adm. Reu. & doctissimo Domino 1623.

D. Ioan-

D. Ioanne de Blier Canonico SS. Cassij & Florentij in collegiatâ Bonnæ Ecclesiâ, nec non Aulico Sacellano : cumque eo, rhedâ ad iter clementer datâ, iter ingressus sum, deducente nos Sereniss. Clem. Sux caduceatore. Iter nobis fuit Bonnâ egressis per Eifliæ iuga & valles, Adenauiam, Merrimum, Vitelliacum, Treuitorum Augustam, Ricciacum, siue Sirick, Theodonis Villam, Metas, Mussi-pontem, Nanceium.

7. Cùm autem ad Neuuillerium castrum peruenissemus, neque Illustriss. Comitem, neque Principem coniugem reperimus : sed Comitem quidem ad curiam Regiam Parisios profectum esse, Principem verò ipsam in Baudouiller concessisse comperimus. Ea causa fuit, cur Neuuillerio castro duodecim leucas processerim, itinere facto per Ramber-villariam & Aultrey, interiecta loca Neuuilleriensi castro & Baudouillerio. Ibi Principis Neuuillerium redituræ præsentiam nactus, oblatis litteris, alijsque mihi clementissimè mandatis, postero die cum Principis aulâ Neuuillerium redijmus, & vi. Iunij in castrum peruenimus. In quo cùm pro Serenitatis Sux obseruantia, nos Missos eiusdem gratiosè recepisset, atque in octauum Iunij diem detinuisset, ex consilio & consensu Illustriss. Comitum Rheni, mariti sui, suoque gratificandi studio, magno sensu pietatis ac reuerentiæ, Reliquias S. Liborij, præsentibus aliquot Sacerdo-

Benignè accepimus,

Reliquias accepit à Ringranij uxore,

cerdotibus, per sacelli aulici Rectorem nobis cum ipsâ, cui inuolutæ fuerant, mappâ, seu linteo mensæ vsibus olim destinato, offerri & tradi iussit. Quæ traditæ per Sacerdotes ^{suasem} ~~con-~~ festim apertæ, non sine insigni odoris fra- ^{odorem ez-} ~~odorem ez-~~ grantiâ expirante, positaque sunt in capitel- ^{spirantes,} ~~spirantes,~~ lâ, quæ statim inclusa est cærulei coloris panno, consutaque, circumducto sæpius eiusdem coloris serico redimiculo, quod va- ^{denuò obf-} ~~denuò obf-~~ rijs in locis ipsius Principis, in rubrâ cerâ in- ^{gnataz} ~~gnataz~~ fixis, sigillis communitum fuit, nobisque con- creditum.

8. Verumtamen eadem pijsissima Princeps mappam, in quâ antea reliquiæ S. Liborij re- quieuerant, in partes scissam, gratiosè inter præsentés distribuit, qui magno animi gau- dio reuerentiâque suas quisque partes am- plexi fuerunt. Ad hæc etiam partem ossis de ^{osse istius} ~~osse istius~~ S. Liborio suo sacello seruauit, eamque in li- ^{retense} ~~retense~~ gneâ, arte singulari efformatâ, & viuis colo- ribus delibutâ hermâ, seu statuâ Episcopalis habitus, pectore tenus productâ, recondi cu- rauit, vt sancti hospitis memoria ex eius loci incolarum animis numquàm deleretur, sed præsentia aliquantâ corporis sui ipse locum sanctificaret, in sui ac Dei Optimi Maximi obsequium. Cui spei optimæ sanè hæctenus ^{ob vicinor-} ~~ob vicinor-~~ non defuit pius effectus in animis circum- ^{rum pietat-} ~~rum pietat-~~ positorum populorum, qui locum illum sup- ^{sem;} ~~sem;~~ plices, votis etiam anathematis, frequentare non desistunt.

9. Huic

*quod ijs so-
lenniter in
supplicatio-
ne ambar-
uali cir-
cumlatis,
b*

9. Huic religioni causam non leuem dedit id quod per legationis meæ tempus ex ipsâ Principe accepi. Cùm enim illa, acceptis nuper sanctis Reliquijs, consideraret Reliquias S. Liborij è folio honoris & loco diuturnæ quietis suæ, Ecclesiâ scilicet Paderbornensi, violenter & contumeliosè abstractas, & huc illucque cum impio exercitu sine honore & reuerentiâ ipsi congruente, circumactas fuisse, Electa Princeps pium & decorum animo facinus concepit, nempe honore aliquo sancti hospitis sui lipsana celebrare, populoque vicino commendare. Itaque tam in memoratæ arcis parochiâ, per sacelli Rectorem, quàm in vicinis circumcirca parochijs, etiam in ciuitate b Baionensi, præconiâ voce edictum fuit, quòd Reliquiæ S. Liborij Episc. per Christianum Ducem Brunswici Paderbornâ violenter ablatae, & cum exercitu circumductæ, demum in Illustriss. Comitis Rheni, &c. Domini sui, potestatem deuenissent, & modò in arcis Neuuiller sacello ad cultum debitum essent repositæ; & ideò certus dies esset statutus, quo supplex circumcirca populus ex utroque sexu collectus, sancti hospitis venerandi gratiâ, cum ipso Sancto sit processurus in publicum, succollantibus sacro oneri duobus Ecclesiastici ordinis viris; ipsâque Principe cum aulâ ac populo vniuerso prosequentibus per magnum agri circumiecti tractum, populo in hymnis & canticis
Domi-

Dominum Sanctorum collaudante, donec Reliquiæ in facellum & altare relatæ suo fruerentur honore.

10. Accidit eo die aliquod non leue sanitatis beneficium, vni, vel potiùs duabus personis in vno, collatum. Nimirùm fœmina probæ famæ, magno fidei & pietatis sensu, filium octennem, ab vtero matris contractum ad eò vt genua ad pectus eius contorta rigerent, magno nihilominùs labore in prædictâ procedentium turbâ circumtulit, orans Deum, vt meritis S. Liborij Episcopi ipsam & filium exaudire dignaretur; & si tam ipsi quàm filio salutare foret, puerum ab infirmitate suâ absolueret. Res mira: cùm mater processione peractâ, fessa & genibus nixa puerum ante se deposuisset, & ante Reliquias S. Liborij super altari repositas feruentiùs in medio templi oraret, ecce puer volutari occipit, & mox in pedes erigi, & erectus ambulare, timidè tamen & nutando, vti solent qui primos gressus figere discunt, atque ita confestim ad altare pergens, ibi Deo & S. Liborio gratias agit. Mater pueri, videns virtutem Dei in filio, & ceteri qui aderant, puerumque nouerant, ingenti gaudio perfusi, lacrymas præ teneritudine cordis admirantis non tenebant, sed Deo & S. Liborio pro tam manifesto signo sanitatis laudem dicebant. Factum est hoc signum in ipso arcis Neuuiller facello, vbi reliquiæ sacræ in conspectu

*contractus
sanatus
esset;*

R

pijsi-

pijssimæ Principis erant collocatæ : & ego, cum isthuc legatus adueni, auidè eundem puerum sum contemplatus, vnà cum socio itineris mei, ipsumque locum, in quo acciderat, non sine gaudio inspexi. Quin etiam fidelissimas de hoc miraculo litteras testes, Latino ac Francico sermone scriptas, Princeps de Croy ad Sereniss. Clem. suam transmisit, vnà cum Reliquijs S. Liborij.

II. Referebat etiam eadem pijsissima Princeps plura sanitatis signa in ægris, maximè fe-
multi febr-
bis liberati: bri correptis, Dominum operari dignatum, ad honorem serui sui S. Liborij; sed exactam notitiam singulorum, quæ in Principis animo multa erat, mihi comparare tam breui tempore superfedi, cum festinarem citissimo reditu Sereniss. Clem. Sux mandatis satisfacere.

cas Auctor
desere Tre-
uitos,

12. Itaque summo manè circa tertiam horam itineri nos dedimus cum Reliquijs in rhedam impositis. Quod cum non lateret plebem vicinam, ex hac plures personæ ad rhedam accedentes, eam supplices venerari, S. Liborij à se auerendi suffragia postulare, & in discessu ex arce lacrymari cœperunt. Nos autem Camponidem, Mussi-pontem, S. Iulianum, Ricciacum, denique Treuitos peruenimus: & sub vrbis muris in S. Maximini abbatiâ religiosissimam cum sacris pignoribus diuertimus. Ibi indicio sacrorum pignorum cum Abbate communicato, ipse insigni gaudio

dio ex eorum præsentia affectus, sequenti die, qui fuit XII. Iunij, eodem in loco magna cum deuotione sacrum musicè in honorem S. Liborij per Religiosos decantari, & capsam, *ubi publicè honorata;* in qua S. Liborij Reliquiæ recondebantur, in summo altari reponi curauit. Inter sacrorum mysteria, collecta vetus ex Treurense perue-
tusto Breuiario opportunè reperta, decan-
tata fuit.

*Collecta de S. Liborio Episcopo
XXIII. Iulij.*

DEus, qui B. Liborium, pium Pontificem, specialis priuilegio in medendis vrinarum & calculi passionibus, ad salutem fidelium, decorasti, tribue, quesumus, vt ita ipsius meritis & intercessione ab eis malis eruamur, vt aternis gaudijs persruamur. Per Dominum. Absoluto sacro Reuerendiss. Abbas cum sanctis Reliquijs, omnibus qui aderant, benedictionem impertiuit, & omnes eandem capsam piè osculati sunt. Atque ita *dein Bon-*
XIII. Iunij ex Abbatiâ S. Maximini in pagum *nam versus,*
Sweigh, Vitelliacum, Merrim, Adenau, Aldenar, Mariæ- Forestum xv. Iunij salui, Deo pro- *per eas è pe-*
tegente, peruenimus, meritis S. Liborij ex pe- *riculo ere-*
riculis diuersis erepti. *ptus:*

13. Ex eo loco, qui institutis S. Brigidæ sacer est, Sereniss. Clem. Suxæ significatum fuit, Reliquias S. Liborij appulisse. Idcirco eadem Sereniss. Clem. Sua altero die, qui erat XVI. Iunij, in prædictum locum duos ablegauit ex

*ea iussu Ele-
ctoris visi-
santur.*

aulâ viros, nimirum R. P. Georgium Schrotelium, Societatis I E S V Sacerdotem, Confessarium suum, & Nobilem ac strenuum Dominum D. Benedictum Schweindell Camerarium; qui præsentem P. Priorem monasterij Mariæ-Forestani, iussu Sereniss. Clem. Suxæ, cistam continentem Reliquias S. Liborij, referatis sigillis, aperuerunt, inspexerunt, & cognitione terminatâ, rursus sigillis pro suæ Serenitatis parte communierunt; mandantes, Vestræ Sereniss. Clem. iussu, Reliquias eadem in sacrario Mariæ-Forestano intactas seponi oportere. Quibus ritè constitutis, nos scripta, attestations miraculi, Latino ac Francico idiomate exaratas, nec non litteras Principis de Croy ad Sereniss. Cl. V. datas, prædictis viris delegatis porreximus, ad eandem Clementiam perferendas. Hæc summatim gesta sunt in negotio Relationis Reliquiarum S. Liborij, eo tempore quo Sereniss. Clem. Sua operâ meâ paratissimâ vti dignata est: quam ut semper pluribusque in causis impendere Sereniss. Clem. Suxæ seruitio liceat, Deum precor, qui eandem Clem. suam patriæ diutissimè incolumem præstare dignetur. Ita precor, & ad posteritatem testor, in castro & oppido Seren. V. Cæsaris-Insulano anno MDCXXVII. XXIII. Decembris. SERENISS. CLEM. SUXÆ

humillimus cliens

IOANNES CAROLVS ERLLENWEIN
Prætor Lynnensis & Vrdingensis.

a Eras

a Erat is, ut supra annotauimus, asseclarum magis suorum, quàm proprio vitio malus. Testatus nobis est vir clarissimus Bartoldus Nihufius (qui Helmstadij unà cum ipso Christiano, an. MDCXV. studijs operam dedit, ac postea litterarum scientiã in Aulã erudite Saxonie Ducem Vinariensem Bernardum, praclarè dein nominis militem, si pro meliori causã arma gessisset) is, inquam, cum iam prior pars huius commentationis excussa esset, testatus est nobis, Christianum Ducem eo tempore indolis fuisse optima: sed postquàm Episcopatu Halberstadiensi auctus est, alios planè mores induisse, fraude (ut omnium opinio erat) Billerfeldij chirurgi, hominis impijssimi, qui aliquamdiu Constantinopoli atque in Perside versatus, in huius deinde improuidi adolescentis sese familiaritatem insinuauit, eiq; pharmacum miscuit, quo fieret ex homine (ut aiebat) nimium scholastico generosus ac vegetus; verum ea potio insanum eum quodammodò reddidisse visa est. Hæc tunc per Saxoniam fuit fama. Pessimè ipse quoque postea periit Billerfeldius, ab rusticano homine, cuius uxori afferre stuprum moliebatur, trucidatus. Quanti interest, quibus magistris formanda committatur Principum adolescentia!

b Non hæc Aquitanie, ad Cantabrorum confinis, vrbs est Baiona; sed Lotharingie oppidum ad Mosellam flumen, non longè ab Neuuillari arce.